



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**

Canticvm Tobiaë. Magnus es Domine in æternum. Tob. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Candida lux, furuæque Deum laudate tenebræ,  
 Nubilaque & rutilo fulgura missa polo.  
 Terra ferax illum teneat per secula morem,  
 Ut Dominum summæ laudis honore colat.  
 Excelsi montes, humilique cacumine colles,  
 Et quicquid tellus germinis alma fouet.  
 Muscoli fontes, tundens sua littora pontus  
 Adsonet immenso, & flumina curua Patri.  
 Immanes ceti, pisces, & quicquid in vndis  
 Reptitat, aut pennis quicquid inane secat:  
 Herbilegæ pecudes cunctæ, mitesque, feræque,  
 Insuper humana vos quoque stirpe sati;  
 Reddite certatim præconia digna potenti  
 Cælicolum Domino, vocis & omne decus.  
 Abrami soboles hunc læto prædicet ore,  
 Atque exultandi non sinat esse modum.  
 Sacrificū quoque turba virūm, quos nobile germen  
 Edidit Aronis, tuque ministra cohors.  
 Hunc mentes, animæque canant, celebrentq; piorū,  
 Cum sanctis, quorum pectore fastus abest.  
 At vos Anania, Mizaël, Azariaque,  
 Illius in laudes maxima causa vocat.  
 Qui vos seruauit rapido fornacis ab igne,  
 Corpora roranti flamine vestra tegens,  
 Ut neque flamma vorax molles violarit amictus,  
 Vltio nec teneras carpserit vlla comas.

## CANTICVM TOBIÆ.

*Magnus es Domine in æternum.*

*Tob. 13.*

**M**agnus in æternū Domine es, nulloq; sub quo  
 Imperij meta est vlla futura tui.

Percu-

Percutis, & dextra percussos sospite sanas;  
 Sub nigra præcipitas tartara, & inde refers.  
 Nec tam præstanti est instructus robore quisquam,  
 Ut tibi surripiat se, manibusue tuis.  
 Laudibus æternis Dominum benedicite, quotquot  
 Estis ab Abramo progenitore sati.  
 Gentibus in mediis positi, populoque profano  
 Carmina cælesti soluite digna Deo.  
 Scilicet idcirco gentes vos sparsit in istas,  
 A quibus huc nunquam cognitus vsque fuit:  
 Incluta ut ipsius per vos miracula discant,  
 Semper & ut memori cognita mente gerant.  
 Utque etiam vestro credant hortamine, nullum  
 Præter eum veri nominis esse Deum.  
 Punit ille quidem nos ob peccata, tulit sed  
 Postmodo saluificam (quod pius esset) opem.  
 Aspiciat ò porrò quæ nobis fecerit ipse:  
 Deque suo hunc labi pectore nemo sinat.  
 Ac timidis deinceps animis, multoque tremore  
 Solicitis Regem glorificate Deum.  
 Scælorum Regem re sic extollite, ut omne  
 Cedat ei in laudem quod facietis opus.  
 Ipse ego quantumuis patriis procul actus ab oris,  
 Semper eum grato sedulus ore canam.  
 Commonstrauit enim populo per signa scelesto  
 Quam sua maiestas magna sit atque potens.  
 In melius versa fontes respiscite mente,  
 Subque oculis iusti iusta agitate Dei:  
 Nil animis quicquam dubitantes esse futurum,  
 Vobiscum clemens ut miseranter agat.  
 Æthereum lato cantu celebrabo Parentem,  
 Deque Deo nostrum gaudia pectus aget.

Genti-

Gentibus è cunctis gens summo electa Tonanti,  
 Laudis eum merito tollite honore suæ.  
 Lætitiæ celebrate dies, & tristia longè  
 Pellite, de Domino carmina festa sonent.  
 Vrbs Solymæa Deo pœnas miseranda dedisti,  
 Porro tuæ hoc fontes emeruere manus.  
 At vice conuersa, culpas exosa priores  
 Fac tua crescat ei per benefacta decus.  
 Regnanti benedic per sæcula cuncta Monarchæ,  
 In te iterum rediens vt sua templa locet.  
 Vt quoque captiuos intra tua mœnia cunctos  
 Colligat, abstractos quos ferus hostis habet.  
 Tunc erit æternos celebres vt læta triumphos,  
 Gaudiaque instaures non habitura modum.  
 Splendentis grato fulgebis lucis honore,  
 Teque omnis mundi natio & ora colet.  
 Longinqua venient tibi de regione, ferentque  
 Munera adorantes supplice corde Deum.  
 Diceris passim longè sanctissima tellus,  
 Quippe erit, vt cuncti hic nomina magna vocent.  
 Perferet æthereas qui te aspernabitur iras,  
 Haud insonsq̄ue, tibi qui maledicet, erit.  
 Felices cuncti cœlesti à numine, per quos  
 Assumes solitum reædificata decus.  
 Ipsa tuam propter sobolem lætabere, felix  
 Nempe erit, accedet relligione Deo.  
 Fausta ferent etiam quotquot tibi læta precantur,  
 Et quicumque tuæ commoda pacis amant.  
 O anime, æterno referas encomia Regi,  
 Namque hoc vt facias maxima causa mouet.  
 Quippe suam Solymam misera de sorte retraxit,  
 Quoque laborabat sustulit omne malum.

Si

Si mea posteritas vr̄bis spectare secundos  
 Hos queat euentus, ipse beatus ero.  
 Sapphiro stabunt portæ, viridique Smaragdo,  
 Cinget eam præstans nobilitate lapis.  
 Mundicie ingenti platearum strata nitebunt,  
 Plenaque diuinæ compita laudis erunt.  
 Gloria sit Domino, qui sic euexerit illam,  
 Ut sedem regni fecerit esse sui.  
 Quod modò voce canēs Solyma super vr̄be peregi,  
 Annuat Omnipotens, & velit esse ratum.

EIVSDEM TOBIÆ AD FI-  
 lium pia exhortatio.

*Tob. 4.*

**N**ephtalides quondã Tobias, quo non fuit alter  
 Vel virtute animi, vel pietate prior;  
 Dum premitur tenebris oculorum lumine captus,  
 Et patitur vitæ tædia acerba suæ:  
 Ad Dominum tollit cum tristi pectora fletu,  
 Eque malis querulo supplicat ore rapi.  
 Ergo senex tandem quum fati tempora adesse  
 Crederet ardenti sæpe vocata prece:  
 Imperat acciri natum, præcepta daturus  
 Ultima. mox præsto sistitur ille patri:  
 Admouet ipse sibi puerum, nec multa moratus  
 Incipit, ac tali soluitur ora sono:  
 Fili animo dilecte meo, mea percipe dicta,  
 Et cordi tanquam tu tibi pone basim:  
 Quum mea ad extremum metæ peruenerit ætas,  
 Hanc animam leto sustuleritque Deus,  
 Cura sit extincto persoluere iusta parenti,  
 Inque sepulchrali condere corpus humo:

Donec